Opatovii Adami: Quaestio theologica de satisfactione Christi.

# QVÆSTIO THEOLOGICA

## DE SATISFACTIONE CHRISTI.

*A*

M. ADAMO OPATOVIO S. THEOL. Profess. Decano S. Annæ, publicè ad disputandum proposita.

*Auspiciis & permissu*

Admod. R. & Magn. D. SEBASTIANI KRVPKA, I. V. Doct. Can. Crac. Rectoris Vniuersitatis.

*ET*

Admodum Rndi D. BASILII GOLINII, S. Th. Doctoris, Canonici Cracouien. & in hac disputatione præsidentis.

*Disputabitur in Lectorio DD. Theologorum 3. Non. Febr. Hora xv.*



CRACOVIÆ,
In Offic. Matth. Andreouiensis, Anno D. 1620.

237 Admodum Rndo Dnō Simoni Italico S. T. Professori Canonico S. Annae Dnō Confratri et amico [illegible]

# Quæſtio Theologica.
## De Satisfactione Christi.

AN Christvs, per incarnationẽ conuenienter & neceſſario factam, pro peccatis hominũ originali & actuali mortali: quæ grauitatem infinitam habuerunt, & nullius puri hominis ſatisfactione expiari potuerunt, ex toto rigore iuſtitiæ ſatisfecerit, necne?

## Conclvsio I.

VNio ineffabilis diuinæ & humanę naturæ in ſubſiſtentiâ verbi facta, includit in ſe cõuenientiam, per quam accommodatam ipſi Deo.

## Corollaria.

Primum. Non eſt poſsibile, vt idem Christvs ſit Deus & homo, quin aliqua vnio inter diuinam & humanam naturam intercedat.

Secundum. Ad hanc vnionem admirabilẽ, cùm requirantur extrema, eademq́ue quamuis in infinitum ſint inter ſe diſtantia, nullam tamen aut impoſſibilitatem

ſibilitatem, aut inconuenientiam coniunctionis importare confitemur.

Tertium. Myſterium incarnationis, quamuis in Deo nullam ponat commoditatem aut perfectionẽ, bonitati tamen Diuinæ fuit conueniens.

Quartum. Per hanc vnionem hypoſtaticã, quamuis Filius Dei, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, nulla tamen mutatio in verbo Dei facta, ſed ſolùm in naturâ humanâ, quæ eſt à verbo aſſumpta.

Quintum. Ex hac eadem vnione non modò in naturam humanam, ſed etiam in reliquas creaturas ſumma dignitas redundauit.

Sextum. Falſò quidam Ethnici ſunt opinati, Deũm ita carni eſſe coniunctum, quaſi illius limitibus coanguſtatus, à prouidentiâ vniuerſi impediatur.

## Concluſio II.

CHristum incarnari, propter reſtaurandam naturam hominis lapſi, ideò neceſſarium fuit, quia hic modus optimus & conuenientiſſimus fuit.

## Corollaria.

Primum. Incarnatio eſt medium neceſſarium, ad ſalutem

ſalûtem hominum reparandam, non ſimpliciter, ſed ſuppoſitâ voluntate Diuina.

Secundum. Præter hunc ineffabilem modũ, omnipotentia Dei potuit ex ſuâ miſericordiâ alium reperire, eundemque acceptare.

Tertium. Opus incarnationis, ita eſt neceſſarium, vt libertatem Dei, illud operãtis, non excludat.

Quartum. Verbum incarnatũ, quoad ſuam omnipotentiam, non acquiſiuit maiorem poteſtatem, reparandi hominis ſimpliciter, ſed ſolùm ſecundùm quid, quoad talem modum efficiendi, nimirum per viam ſatisfactionis.

Quintũ. Vt iuſtitiæ diuinę ex perfectâ iuſtitiâ ſatisfieret, vnio hypoſtatica fuit ſimpliciter neceſſaria.

Sextum. Sancti Patres, quando Deo tribuũt hanc neceſsitatem liberandi hominem, exponendi ſunt de neceſsitate, ſuppoſito decreto diuinæ voluntatis, non aliter liberandi hominem lapſum.

## Concluſio III.

Peccatum originale, & actuale mortale, in quãtum eſt offenſa Dei, & malum Deo intentatum, habet grauitatē infinitam.

## Corollaria.

Primum. Peccatum, vt eſt quoddam ens Phyſi-

cum, prouениens ab actione hominis debitâ rectitudine carente, non habet grauitatem infinitam.

Secundum. Peccatum vt est malum deordinans à bono rationis, non habet malitiam simpliciter infinitam, in genere moris.

Tertium. Peccatum secundùm quod habet eam malitiam, vt peccatorem auertat à bono infinito, sub eâ ratione habet grauitatem infinitam, sed non simpliciter nec intensiuè, verùm extrinsecè & obiectiuè, idq; in genere moris.

Quartum. Peccatum actuale mortale, constituendo finem vltimum in creatura, quodammodo secundùm affectum, tollit Deum, cui propter summam bonitatem conuenit, vt finis supremus omnium habeatur.

Quintum. Dato casu, quòd mundus in æternũ duraret, & quòd propagatio ab Adam, in infinitos homines descenderet, peccatum originale extensiuè esset infinitum.

## Conclusio IV.

Satisfactio puri hominis, nequaquam valorem de condigno, & qui sit de rigore iustitiæ habere potest, & pro suis, & pro aliorum peccatis, etiam de absolutâ Dei potentiâ.

Corol-

## Corollaria.

Primum. Valor satisfactionis ex personâ satisfaciente, æquali personæ offensæ, sumendus est ita, vt dignitas personæ satisfacientis redundet in valorem satisfactionis, vt ex eo satisfactio sit æqualis offensæ.

Secundum. Satisfactio de rigore iustitiæ, nō debet inniti gratiæ creditoris, sed ex proprijs & nullo alio titulo debitis, procedat necesse est.

Tertium. Per purum hominem intelligimus, qui non sit Deus, & qui siue sit in puris naturalibus, siue in gratia Dei constitutus.

Quartum. Purus homo, destitutus auxilio gratiæ Diuinæ, sed solis viribus naturæ subnixus, nec ad perfectam æqualitatem, nec ad imperfectam, pro peccato proprio siue alieno satisfacere potest.

Quintum. Satisfactio puri hominis, sed in gratiâ & charitate existentis, potest de potentiâ Dei absolutâ ad imperfectam æqualitatem peruenire.

## Conclusio V.

Christi satisfactio, & infiniti valoris fuit, & ex toto rigore iustitiæ.

## Corollaria.

Primum. Dignitas & valor actionum Christi, non

non consistit absolutè in æstimatione, quandoquidem hæc supponit rei nobilitatem, quæ æstimatur, sed fundatur essentialiter, in ipsâ personali dignitate personæ verbi Dei, cui absolutè & simpliciter secundùm omne genus perfectionis, infinita dignitas conuenit; cæteræ autem res dignitatem hanc accipiunt, in certo genere operum, nimirum satisfactionis & meriti, quamuis eundem gradum infinitum dignitatis cum personâ habeant.

Secundum. Dignitas propriè conuenit personæ verbi, valor verò CHRISTI operibus, & alijs rebus, quæ possunt esse materia iustitiæ; Et hæc dignitas CHRISTI personalis dat valorē operibus seipsâ per modum formæ non intrinsecæ sed extrinsecæ.

Tertium. CHRISTI satisfactio fuit condigna & infiniti valoris, non ab extrinseco, videlicet ex gratuitâ acceptione diuinâ, sed ab intrinseco.

Quartum. Satisfactio CHRISTI, & ex parte rei oblatæ, & ex parte offerentis fuit infinita & satisfactoria.

Quintùm. Satisfactio, per quam CHRISTVS Deo satisfecit, pertinet ad speciem iustitiæ commutatiuæ, quæ est regula, opera satisfactionis eliciens & dirigens.

## Studioſo Lectori.

*Hæc mea cum Theologis diſſertatio, de Deo carnis mortalitate induto, intelligo bene, quàm tibi arida, ſpinoſa, & recondita videatur. Sed ne vacuus, & prorſus ſine fructu abeas, hanc orationem, quondam in celebritate Academicâ, de hoc ipſo beneficio habitam, & ex acerbo funere quod tineis curandum demandaueram, reuocatam, tibi lubens trado. Vtere, vel ſaltem præſentis tædij releuandi gratiâ, & boni conſule.*

# ORATIO.

## De admirando Incarnationis Myſterio, in ſupplicationibus Academicis quatuor temporum S. Luciæ. Anno M. DC. xv. habita.

ESt hæc vſitata, & ab ipſâ naturâ, & dicendi legibus, vſurpata conſuetudo, vt ſummi quiq; Oratores in principio Orationis quandam & animo perturbationem præſeferant, & in dicendo tenuitatem profiteantur. Eſt enim hoc magnum ac propè diuinum, in maximo cōuentu circumfuſæ multitudinis aliis tacentibus dicere: at verò longè eſt maius in ampliſſimo conſeſſu eruditiſſimorum Virorum, & in dicendo exercitatiſſimorum ſermonem inſtituere, illorumq; velle & auribus & animis placere. Sin verò ea magnitudo rei dictione explicanda venerit, quæ & ingenii vires, & orationis copiam videtur ſuperare, quis erit tantâ animi conſtantiâ firmatus, cui non lingua obmuteſcat, torpeſcant manus, mensq; debilitata metu concidat. Et horum quidem ſingula cùm ſint tanti momenti, vt etiam hi qui optimè dicunt, quiq; id ornatiſſimè ſe poſſe facere confidant, ſæpenumerò timore exanimati exalbeſcunt. Quid verò iam mihi animi eſſe putatis? quomodò incertos euentus orationis veſtramq; expectationem non pertimeſcam? cum me

hominem infantem,& ab orationis copiâ destitutum, omnia in hoc vno tempore circumsistunt, & non mediocriter perturbant. Dico enim in hac adstante frequentiâ nobilissimæ iuuentutis, quæ iuuenilem redundantiam suspicit, eamq; eloquentiam admiratur, quæ cursu magno, sonituq; verborum modo animos perfringit, modò cum quadam suauitate in sensus illabitur. Dico apud vos Viri Academici, qui mihi summos illos Principes, veteris Academiæ repræsentatis, quorum studium non modò in oratione illustrandâ, sed etiam in animo instruendo plurimarum ac maximarum rerum copiâ ac varietate versabatur. Dicendum denique venit de re omnium maximâ, in quâ necesse est omnia oratorum præsidia labefactari. Quo me igitur vertam? Vnde dicendi initium capiam? quodnam illud erit tam fælix, tam illustre dicendi genus? quod & verborum coloribus illuminatum, & sententiarum pondere exornatum; limatum, ac censorium aurium pariterq; animorum vestrorum iudicium adimpleat? Intelligo, quæ sit huius Iuuentutis mens, quis animorum sensus, & quod illud solum orationis genus, quod suæ ætati sit accõmodatum, omnibusq; pigmentis colorandæ dictionis vestitum probare consueuit. Non sum nescius, vos quoque summo iudicio viros eam copiam expectare, quæ sit perpolita, tersa, elegans, & quæ prorsus ipsas Athenas redoleat. Illud quoq; optimè conicio vos desiderare, vt in eo argumento ac beneficio commemorando oratio mea versetur, cuius annuam memoriam Ecclesia recolens his diebus, solennes supplicationes per oblata sacrificia sub auroram ad aras Dei Opt. Max. persoluit. Sed cum in re præsertim diuersâ, & secum pugnante difficile sit vno tempore tam multis satisfacere, dabis mihi veniam, Nobilissima Iuuentus, quæ studio orationis locupletandæ teneris, si relictis verborum ornamentis, sim-

plici dictione vsus fuero. De vobis verò viri Academici persuadeo mihi, vos non optare, nec à me exigere eam verborum concinnitatem, quæ auribus vestris blandiatur, sed quæ tam sublimem rei dignitatem, aliquo modo assequatur. De Mysterio itaq; admirando, & primis illis sæculis propè incognito dicendum venit, quod gentibus annunciatum stultitia fuit, Iudaico populo scandalum præbuit. Dicendum inquam venit de Deo, non vt, illam cælestem aulam inhabitans, recumbit in solio beatitudinis, quod splẽdore lucis est stratum, & Beatorum agminibus vndiquaq; vallatum, sed qui humanâ carne tectus, in hanc infimam mundi partem, vt nostram operaretur salutem, venit. Quod antequam facere aggredior, ante Thronum Maiestatis eius in genua procidamus, donumq́; Spiritus S. nobis cælitus mitti imploremus, illud Ecclesiæ Carmen, quo hoc beneficium celebrat, effusis in lætitiam animis concinentes.

*Ecce Virgo concipiet &c.*

Tanta est A. diuinornm beneficiorum, quæ in vniuersum genus humanum sunt collata, magnitudo, vt nullius sit tam diuinum, tamq́; incredibile orationis genus, quod illa non dicam augere, aut Oratione ornare, sed percensere numerando possit. Sapientissimus Philosophorum, idemq́; Oratorum eloquentissimus Seneca, cum honorem, eamq́; dignitatem homini à Deo concessam esse arbitratur, vt hunc non modò plurimis maximisq́ue, & animi & corporis ornamentis auxerit, sed etiam hunc ipsum Iudicem, arbitrum, dominum, Regem deniq; opulentissimi orbis terrarum Regni constituerit, vt omnia in eius potestate ac moderatione verterentur. Rerum verò Diuinarum Religiosissimus scriptor Moyses, cùm rerum à Deo conditarum originem atq; etiam ordinem prosequitur, ad extremum cum ad hominis incunabula, ortusq; rationem describẽdam peruenit,

tria hæc, quæ eius nobilitatem continent, complexus: Diuinam consultationem: loci amœnitatem: deniq; nomen, quod illi ore diuino est impositum. Quid autem admirabilius? quid ad hominum amplitudinem excogitari potuit laudabilius, quàm tres Diuinas personas, commune quoddam consilium iniuisse, non de ordine, quo corporis humani membra ex terreno principio confecta, figuram & situm inter se sortirentur, sed quam rationem seruaret in hominis animo producendo, qui molem corporis ingressus, non modò eam animaret, sed quoddam simulachrum Diuinitatis repræsentaret. Et hoc quidem instinctu mentis suæ, veteres Philosophi agnouerunt. Quidquid enim illud est, quod sentit, quod sapit, quod vult, quod viget, cæleste, diuinum, atq; inprimis æternum esse pronunciârunt, quin imò nec ipsum Deum, vt ab hominibus intelligitur, alio modo intelligi posse negârunt, nisi quòd sit mens quædam soluta, libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens, omnia mouens, ipsaq́; prædita motu sempiterno. Hæc autem diuina scilicet vigere, sapere, inuenire, meminisse, an non humano animo conueniunt? Meritò itaque hunc Diuinum, vel cum Euripide Deum dicere possumus. Quid verò ipsum illius domicilium, in quo primam sedem omnium rerum ac fortunarum suarum collocarat; paradisum voluptatis, appellant sacræ literæ, scilicet locus hic, ad omnem lætitiam capiendam, ipsis gratiarum ac cælestium amænitatum manibus confectus ac elaboratus fuit: semper ibi ver pubescens, varios ex se florum odores spirabat, in cuius medio fons erumpens, in quatuor distinctus alueos, perennes exonerat aquas, totamq́; eius amplitudinem irrigans fæcundat. Et quemadmodùm princeps virum aliquem genere, nobilitate, ac dignitate insignem hospitio accepturus, quidquid est cælati argenti, quidquid elegantioris

ex auro

ex auro supellectilis, quidquid deniq; preciosæ stragulæ vestis, totum palàm profert, omnesq; domus suæ partes splẽdidè & magnificè adornat. Ita prorsus Diuina Maiestas antequam hominem procreâsset, qui cætera natalium splendore vinceret, cuius erat assumpturus naturam, prius paradisum tanquam triclinium omnibus diuitiarum copiis instruit, in eoq; cælestis cuiusdam, quæ in terris haberi potest, fælicitatis thesauros aperit & profundit, eoq; hominem à se conditum inuitat, venienti obuiam progreditur, & apprehensum manu, vt testantur diuina eloquia, in splendidissimo ac diuitiis omnibus affluente tabernaculo constituit. Hoc verò quanti faciendum esse putatis, quod cum Deus homini potestatem permisit, imponendi nomina cæteris animantibus, ipsi verò in lucem edito, non aliquod terrenum aut cæleste, sed ipsum diuinum numen, vocis appellationem imposuit. Est hoc in more positum, institutoq; multarum gentium, vt cum Principis alicuius filius, salutaribus aquis est abluendus, nominis impositio, non cuiuis homini ex mediâ plebe permittitur, sed viro, qui propter summam virtutem, summamq; nobilitatem facilè omnes antecellat. Sic homo cum primùm hanc lucem aspexit, vt Diuino suffragio totius vniuersi gubernacula susciperet, authorem nominis sui, non alium meruit habere, quàm ipsum Deum Opt. Max. cuius nutu & arbitrio omnia ab eodem producta reguntur. Magna hæc esse, & incredibilia diuini amoris in hominem argumenta, quis vnquam nisi mente captus dubitauit? At verò longè maiora sunt, fidemq; hominum superantia, quæ iam oratio commemorare gestit. Deus hic, à quo tot tantisq; beneficiis nullo nostro merito cumulati sumus, nostræ humanæ carnis fragilitatem naturæ suæ diuinæ copulauit, arctissimoq; vinculo colligauit, atq; in vnius personæ subsistentiâ vniuit: Deus inquam A. natutam

 suam

suam infinitã, diuinâ misericordiâ coarctauit, & vt breuius eloquar, cum Euangelistâ dico, Verbum Caro factum est. Quid hoc admirabilius, quid vnquam excellentius, à Deo causa hominis fieri potuit? in quo omnes amoris ac bonitatis suæ opes effunderet? quam cum in amplexum illius naturæ sic exarsit, vt eandem assumptam & deuinctam in admirabile consortium Diuinitatis admiserit. Cogitate quæso, quàm res admirandas Diuina clementia in hoc inaudito facto sit operata: Deum enim qui in sede Maiestatis suæ erecta super Cherubin consedit, qui in illâ æternitate nullis sæculis terminandâ, vitam beatissimam duxit, quem spiritum ac mentem quandam, mortalis concretionis expertẽ confitemur, qui hanc molem vniuersi, prolato imperii sui verbo, subitò nullâ interpositâ morâ produxit, qui tam immensus tamque infinitus est, vt nullis locorum interuallis, nullis terminis contineri ac includi potest. Hunc igitur tam præstantis ac eximiæ naturæ Deum, summa eius benignitas, cõsociauit ac deuinxit homini, mortali, caduco, cuius genus terra, domicilium hæc infima & abiecta mundi pars, vitæ conditio breuis, plurimisque laboribus ac periculis vsque ad extremum spiritum implicata, corpus è terrenis ac contrariis principiis coagmentatum, spacium temporis ac loci incertum, inconstans, & perquàm exigui momenti. Hæc itaque tam contraria, tam infinitis modis inter se pugnantia, quo tandem modo in mutuam coniunctionem, atque adeò in vnius personæ communionem consentire & coalescere potuerunt? Quomodò totius sanctitatis author? quomodò purissimum illud Numen cœleste? humanã carnem nefariis sceleribus contaminatam, membrorum ac variorum lineamentorum compositione efformatam, in intima affinitatis iura admisit? Enimuerò dubitandum non est, si rationi ac humanæ prudentiæ auscultare voluerimus, indignum

dignum prorsus, & à tam sublimi maiestate alienum videtur, vt tam humilis, obscuræ, & abiectæ creaturæ naturam & cōditionem susciperet. Sin autem illud inexhaustum Diuinæ munificentiæ & bonitatis pelagus, considerare voluerimus, proculdubio fatebimur, nostra hæc iudicia susceptasque de rebus diuinis consultationes, longè esse diuersas, ab illo supremo diuinæ sapientiæ consilio. Veteres Philosophi cùm inter se disceptarent, præclarumq; certamen rationū committerent, quibus nonnulli vnum esse mundum, quidam verò plures ac infinitos, conuincere sunt conati. Eorū qui multitudinem persuadebant, hoc maximum in probando erat argumentum, bonitatem Dei infinitam, status huius totius mundi, ac naturæ causam esse, desideriumque quod ex eâ manat diffundendi se ac impertiendi rebus productis esse infinitum. Quomodo itaque possibile, atque etiam credibile erit, tam immensam bonitatem vnam tantùm huius mūdi fabricam construxisse, quæ illius desiderii magnitudini comparata, propè nihil censenda est. Si enim præter hunc nullum alium condidisset, non dissimile esset, quàm si quis eum, in arte pingēdi peritissimum & summum artificem, qui vnam formicā pinxit, nuncupari vellet. Quâ in re præclarè illi quidem, tanquam à lumine fidei destituti, sed non satis conuenienter de Diuina bonitate sunt locuti: sed quantò nos præclarius, quantò conuenientius de hac ipsa bonitate sentimus, cùm ex illius flagrantissimo amore sese communicandi, non vnius mundi aut infinitorum constructionem, sed humanæ carnis assumptionem, profectam esse prædicamus. Intelligebat enim sapientissimus Deus, quod etamsi plurimas, & locis inter se distinctas vniuersi moles architectatus fuisset, quod in his exiguam sui [illegible] partē, atque adeò imperfectum vestigium impressisset. Aliam igitur viam, qua se totum effunderet, ac perfectissimè largiretur, per hypostaticam

eam vnionem aggressus, in quâ humanitati assumptæ ac vnitæ, & in eâ omni creaturæ, vniuersam naturam suam Diuinam concessit. Post quod beneficium præstitum, nihil iam vltra restabat Deo effundendum, quia hic totus effusus est. O benignissime Deus! O amor immense, quid hoc tandem rei est? quod sic hominem adamaueris, vt te in eum totum effundas, Deumque efficias? Agnosce ô homo, exclamat melli fluus Bernardus, dignitatem tuam: agnosce gloriã conditionis humanæ: Conticescat iam vox sponsæ, præ desiderio æstuãtis amoris, plena querellarum: Osculetur me osculo oris sui. Hoc scilicet ardẽtissimè cupiebas, vt idem Bernardus amoris tui in Canticis paranymphus & interpres explanat: Sit os osculans verbum assumens, osculatum caro quæ assumitur, osculum verò quod pariter ab osculante, & osculato conficitur persona ipsa ex vtroque compacta, mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. O felix osculum, & stupenda dignatione mirabile, in quo non os Dei imprimitur, sed Deus homini vnitur. Adorna thalamum tuum ô lectissima & ex omnibus vnicè dilecta Virgo filia Sion: iam enim lęta cõnubia, iam diu optatos Hymenęos aduenisse vides. Hanc esse legẽ eorum, qui coniugii fœdere sunt sociati, accepimus, vt omniũ bonorum vsum, & hæreditatem communẽ inter se habeant. Sic cum Diuinâ naturâ in illo sacratissimo Virginei vteri thalamo, & omnibus donis Spiritus sancti adornato, humanam sibi æterno connubio deuinxit, totũ hoc quidquid erat aut Dei, aut hominis propriũ, totũ in cõmune vtriusq; collatum est. Et quidem opes ac facultates hominis hæ sunt, quòd sit patibilis, varios enim dolores ac cruciatus illum perferre necesse est: quód sit mortalis, post multos enim labores in hac vitâ exantlatos, moriendum illi, & in illas oras quas animæ post discessum incolunt, abeundum. Et in horum bonorum societate Deum

sibi inti-

sibi intimè deuinctum admisit: Deus enim iam est patibilis factus, quia supplicium acerbissimæ crucis sustinuit: factus & mortalis, quia in atrocissimis doloribus diem suum obijt. Deus verò homini, qui cum eo in vnam personam conuenit, longè veriores diuitias contulit, quas hæc illustria nomina declarant, quód sit immortalis, quód æternus, vt iam ipsum hominem Deum æternum, & immortalem affirmare posſimus. O æquiſsime Deus, quàm non ex æquo hæc bonorum collatio in communem vsum est facta; tu enim in nos cælum illiusq́; opulētiam, nos verò in te terram, illiusq́; infinitas miserias ac calamitates conferimus. Sed quia hoc est ius cōnubii, quod nobiscum adiisti, idcircò non grauatim hanc accipis conditionem. Est adhuc coniugalis amoris, irrupta quædam copula, animorum consensionem vinciens ac retinens, sed vinculum in hoc admirando mysterio, quàm longè arctius humanitatem Diuinæ naturæ astringit. Hæc enim vnio facta est, incredibili quadam vi attractionis, naturæ Diuinæ humanam ad se trahentis, & per eius immeationem ac penetrationem in humanam; facta quoque per admirabilem accesſionem insitionemque humanæ naturæ, ex quo strictissimus quidam amplexus existit, qui in nulla alia re creata reperiri potest, vnde tanquam summum Dei opus exemplo carere debuit. D. Athanasius in Symbolo, similitudine ex natura hominis petita sic videtur hoc mysterium explicare: sicut anima rationalis & caro, vnus est homo,: ita Deus & homo vnus est Christus. Sed hæc ipsa comparatio, quàm sit apta, quàm conueniens, ad rem tam abstrusam & reconditam illustrandam & oculis subiiciendam, testis est Iustinus martyr: Nonnulli, inquit, vnionem eam, veluti animæ cum corpore, mente complexi, ita prodiderunt; & congruens est exemplum, tametsi non ex omni parte, aliquatenus tamen. Quemadmodum namque vnus

que vnus est homo, & naturas inter se differentes duas in se obtinet, & per alteram quidem ratiocinatur, per alterã quidem, quod ita ratione concipit, efficit: ita filius cùm vnus sit & duæ naturæ, altera diuina edit miracula, altera humilia excipit: quâ enim ex parte Deus est, res admirandas operatur; quâ verò ex Virgine homo, crucem, passionem, & cõsimilia, suapte voluntate naturaliter perfert. Hucusque si quis hoc exemplum recipiat, rectè se habet comparatio, at si rursum rem totam similitudini conferas, differentia apparebit. Nam homo, etiamsi duplicem in se ostendat naturam, non duæ tamen naturæ est, sed ex duabus naturis constat. Non sic in Christo, in quo etsi personæ vnitas insit, remanet tamen duplex natura, in quâ vna, non est altera. Præterea hominis natura à corpore separata: diuinitas verò nunquã fuit, nec erit ab humanitate diuisa ac disiuncta. Hæc itaque admiranda, & nunquam dissoluenda coniunctio, cùm sit dextræ solius Dei, omnia pacta, omnia fœdera, modos denique, quibus inter se res diuersæ consociatæ esse dicuntur, longè multumque superat. Sola illa vnio trium personarum in essentiâ, sola est maior; ibi enim personæ in vno infinito esse, vt Theologi loquuntur, hic verò duæ naturæ in infinitum à se inuicem distantes copulantur, quamuis vna, scilicet humana, in alterius nimirum Diuinæ subsistentia siue hypostasi sustẽtetur, non tamen ea de causa est naturæ suæ basis ac sustentaculum, cùm tamen verissimum sit, quód verbum illud æternum, sit homo, quod quidem omni admiratione ac stupore est dignum. Cuius quidem miraculi, non aliam causam inuestigare possumus, nisi quòd verbum, nõ sustentat hominem, in gradu & dignitate hominis, sed in dignitate & gradu Dei: Deus enim qui res vniuersas produxit, easdem Diuina suâ prouidentiâ conseruat, sustentans quãlibet, & in eâ naturâ, & subsistentiâ quam ab illo accepit. At

vero ho-

verò hominem Iesum,in gradu & personâ Dei, siue in subsistentiâ, quæ non sit creata, sustentat, Interrogauit Assuerus Imperator, Aman seruum suum; Quid debet fieri viro, quem Rex honorare voluerit: Respondit: homo, quem Rex honorare voluerit, debet indui vestibus Regiis, debet imponi super equum, in quo sit sella Regis, & accipere Regiū diadema super caput suum, & primus de Regis principibus teneat equum eius, & per plateam ciuitatis incedens, clamet & dicat: Sic honorabitur, quemcunque Rex honorare voluerit. Et hic quidem amplissimus honos, cui potius hominum, quam ipsi Christo propter hoc stupendū vnionis vinculum debetur: humanitas eius in equo regio sedet, quoniam in Personâ & dignitate Dei sustentatur, vestis regia, qua indutus erat, fuerunt opera à Diuinitate edita plena miraculis, quæ eum filium Dei & Regem gloriæ declarabant; regium diadema in capite fuit, sapientia diuina, qua calidissimos spiritus tenebrarum deuicit, impurissima Pharisæorum ora clausit, gentem in admirationem traxit; nobilissimi verò ac summâ dignitate viri fuerunt, cum Prophetæ domicilia Spiritus S. Oracula, ac interpretes diuinæ voluntatis, tum verò duodenus ille Apostolici honoris apex, Proceres Euangelicæ legis, qui per totum orbem sparsi, doctrinā Euangelii, ipsumque Christum annunciantes, equum eius tenuerunt, scilicet personam Diuinam agnoscentes, & præ lætitiâ voce alta acclamantes, toti orbi denunciabant. Hæc est vera ac summa dignitas, quâ Deus hominem honorare voluit, cùm illi diuinos suos honores cōcessit. Tu quidem, ô Christe salutis humanæ restaurator, per hoc mysteriū carnis assumptæ, in altissimum dignitatis gradū humanitatē euexisti, cùm eam in eo solio, quod est solius Dei, collocasti: Tibi veró quid honoris, ex hac mortalitate carnis accessit? Tené ego dicam, qui es sapientia Patris, plenitudo gratiæ, thesau-

rus ſcientiæ Dei, non hæc ante animo perſpexiſſe, nulla tibi non modò ex hac affinitate carnis, ornamenta dignitatum parari, ſed præter curas, labores, inediam, variaſque afflictiones, quæ tanquam indiuiduæ comites, nunquam à latere hominis diſcedunt, eundemque tanquam rabioſæ furiæ exagitant: ſed quod etiam te vincula, carceres, verbera, ludibria, totiuſque corporis vulnera, ad extremum ignominioſiſsimum & atrociſsimum Crucis ſupplicium maneret? Tu hæc quidem ſingula, per ſummam ignominiam & crudelitatem, tibi in carne noſtra euentura optimè præuidiſti, eâ tamen ſalutis noſtræ cauſá, declinare noluiſti. Quid verò hæc tam laborioſa ſalutis noſtræ reparatio? tibine adeo neceſſaria, an nobis fuit? Equidem Aud. Deus noſter omnes numeros perfectionis in ſe habet, ita vitam in illâ æternitate perpetuis voluptatibus affluentem ducit, vt ad eam ex his rebus, quas produxit, nulla acceſsio fieri poſsit. Nondum natalis dies beatarum mentium illuxerat; nondum primi generis humani progenitores lucem hanc aſpexerant, ille tamen per innumerabiles Miryadas ſæculorum, & beatus vixit, & glorioſus regnauit. Non igitur indigentiâ preſſus, nō vi, aut neceſsitate adactus, & carnem aſſumere, & in ſuſceptâ pauperiem, labores, inediam, ignominiam, varioſque tormentorum cruciatus perferre voluit. Neque verò nos, vt à crimine liberaremur, & ab æternis ſuppliciis, quibus mancipandi eramus, tantâ ſubmiſsione, & tantis eius doloribus indigebamus. Potuit enim nobis & criminis grauitatem, & pœnæ atrocitatem, gratuitò condonare, illumq; priorem ſtatum, cuiuſdā Angelicæ innocentiæ, amiſſum reſtituere. Cui enim hoc tam liberali facto, cùm ſit omnium ſupremus Dominus iniuriam faceret? An non illi licuit, cùm ipſe præſertim per peccatum fuerit offenſus, iuri ſuo cedere, culpamq; dimittere? Nonné illi liberum erat, cùm ſit ſummus & legiſ-

lator &

lator & iudex: audax & temerarium facinus violatæ legis ignoscere? An non potuit, commissorum flagitiorum pœnas ab vnoquoque hominum exigere, illisque acquiescere? An non illi integrum erat, aliquem ex vniuersis hominibus deligere, cui hoc munus satisfaciendi pro aliis imponeret, illudq;, quamuis ex omni parte imperfectum esset, pro suâ misericordia susciperet, cum præsertim nullâ lege teneatur, summam acerbitatem Iustitiæ in omnibus seruare. Licuit profectò Deo nostro pro arbitrio suo, hoc vel illo modo, negocium reparandæ salutis nostræ expedire, in eoq; procul dubio, non mediocria bonitatis suæ in nos argumenta contestatus fuisset. Sed quo minus pro iure ac libertate ageret, amor infinitus, quo nos complexus est, prohibuit. Amoris vesani flammas, & imperium, qui intra se portant, quas non res; quàm difficiles, quàm periculosas adeunt, hoc vnum cogitant, hoc dies noctesq; agunt, vt in rei amatæ consecutione conquiescant. Quid verò hic amor, qui est ipse Deus, vbi semel viscera Diuinitatis subingressus incaluit, Deumq; homini conciliare cæpit, quid non fecit? quid non tentauit? eò ad extremum peruenit, vt Deum in partes hominis, & hominem in partes Dei pertraxerit, vnumq; ô mira vis amoris, effecerit. Hoc enim amore conciliante, hoc pronubo factum est, vt se Deus in hominem, qui vnus, ex omnibus rebus creatis est præstantissimus, effundere cæperit: non potuit autem magis se extrà effundere & communicare, quàm ita influendo & inundando in hominem, vt se eum esse faceret; nec rursus amplius facere potuit, vt homo magis ad se, tanquam ad authorem rediret, quàm faciendo illum Deum. In quâ tam inusitatâ, & ante hunc diem inauditâ amoris coniunctione, iam Deus non intuetur hominem, vt creaturam, vt seruum, sed vt propinquum, cognatum, & summo necessitudinis iure deuinctum

 uinctum

uinctum : ipse quoq; homo respicit eum, non tantùm vt Creatorem, vt Dominum, sed vt Parentem & Consanguineum, Diuina ad extremum,vt sua sibiq; familiaria effecta, cùm sit Deus, incredibili cum voluptate animi contemplatur. O amor Diuine, quæ tibi delubra, quas aras ponemus? quos nomini tuo dies festos ac solennes indicemus? quod erit illud sacrum carmen, quod lætum Pæana, quod tuam in nos, tàm immensam animi propensionem personabit? Tu enim ima summis, humana Diuinis, terrena cælestibus coniunxisti, nosq; Deo nostro, tibi inquam ipsi, qui Deus es, deuinxisti. Hunc quidem Aud. externũ cultum pietatis, ac religionis nostræ in Deum, quem in sumptuosis ædificiis,illius honori dicandis declaramus, non aspernatur, sed maius est quiddam, quod pro tanto beneficio à nobis efflagitat, vt scilicet anima corpusq; nostrum,sint illi in templum erecta, illiusq; honori consecrata. Propter hanc necessitudinem, quam in hoc Diuinissimo mysterio nostræ carnis assumptæ cum Deo iniuimus,corpus hoc nostrum, corpus mortale caducum, & quod quatuor contrariorum corporum, breui interitura temperie cõtinetur gloria immortalitatis est donatum, Diuinos honores est adeptũ, quia Deus in eo sedem Diuinitatis suæ collocauit. Tu verò hoc corpus, hanc carnem, hæc membra diuinæ consortia naturæ, indignis permittes tractare modis; hacq; dignitate, quæ tibi diuinitùs offertur spreta, non vt Sacrarium custodies, sed impurissimarum libidinum stabulum efficies, eaq; fieri patiere, quæ in domo meretriciâ solent. Literarum monumentis proditum est, illâ nocte quauis luce splendidiore, illâ ipsâ horâ, quâ mundus nullam fæliciorem vidit, quâ Saluator noster,Virgineo editus partu, in lucem prodiit, vniuersos luxuriæ deditos, tanquam eos, qui carni ad summam dignitatem euectæ contumeliam facerent, vis Diuina,

inopinata

inopinata morte est vita. Tu verò non timebis, non exhorresces, laxare frena libidini, postquam hæc ipsa caro, in regiâ sede Diuinitatis, cum summâ potestate consedit, si in hos qui hoc beneficium ignorabant, tam distinctè, tàm seuerè, Diuina Iustitia animaduertit? Tecum verò quid facturam putas, qui hæc ipsa cum intelligas, sciens tamen ac prudens in præcipitium ruis? Nec verò blandiaris tibi, nec ideò animo in vitia propendeas, quod cum tanto tempore, in turpissimis lenociniis voluptatum viuas, vt nulla te dies, nulla nox, nisi impuritati operam dantem conspexit, nihil tamen vsq; in hanc diem quidquam aduersi tibi contigit: hæc enim mora, hæc cunctatio, hic tardus progressus vindictæ, quæ tuis flagitiis debetur, nisi resipueris, tarditatem grauitate pœnæ compensabit: & vbi tu minimè credes, ibi te Diuina opprimet vltio, & æternis ignibus cremandum tradet. Facessat ergo, impurissimarum voluptatum insolens Domina libido, nihil sibi iuris arroget, nihil possessionis vendicet in carne nostrâ, quam suis honoribus Diuinitas consecrauit. Adsit vitæ innocentia, adsit Castitas, quæ rosarum instar, in medio animæ & corporis floreat, nosq; ipsos, tanquam interna penetralia domus Dei, odoris fragrantia repleat: hæc sit nobis præcursor atque cohabitator Spiritus sancti: hæc sit iucundum Christi diuersorium, & quamdiu in hac regione externâ, corporeis constricti vinculis commorabimur, tam diu oculum animæ splendidum ad eam vitam erigamus, in quâ gloriosæ veræq; sunt nuptiæ, vbi cum corpus nostrum, in Christo diuinâ luce collustratum contemplabimur, lætitiâ perfusi, sine fine lætabimur.